

DE VERO MOTU V. PLANETARVM.

metri absq; omni multiplicatione in minuta proportionalia æquationi adijciatur. Et quicquid his peractis remanserit, uerum punctum zodiaci primi mobilis, sub quo centrum corporis Lunæ graditur pro assignato tempore examusim ostendit, de quorum ostensione accipe exemplum subscriptum. Medius motus Lunæ constitutus ad supra dictum tempus est 11 sig. 27 gra. 7 minu. 46 secund. Argumentum uero medium eiusdem 6 sig. 5 gra. 26 minu. 54 secund. Centrum autem Lunæ medium 10 sig. 9 gra. 18 minu. 58 secund. Mitto itaq; centrum Lunæ medium in tabulam æquationum eius, & occurrit æquatio centri 7 gra. 23 minu. cum nota subtractionis, cuius differentia est 8 minu. cum litera M, diminutionem importans simili modo 9 minu. in loco minorum proportionalium inuenio, quorum differentia cum sit nulla, ea pronuncio æquata, ad partemq; seruo. Duce deinceps residuum centri non missum in tabulam, scilicet 18 minu. 58 secund. per differentiam æquationis scilicet 8 mi. & procreabitur pars proportionalis 2 minu. 32 secund. ferè, quam subtraho de centri æquatione suadente titulo, remanebit æquatio æquata 7 gra. 20 minu. 28 secund. minuenda. Igitur ipsam subtraho de argumento Lunæ medio, residuatur uerum argumentum 5 sig. 18 gra. 6 minu. 26 secund. Sed huius æquatio ex tabula est 11 mi. 18 secund. cum differentia 5 minu. 38 secund. quorum tituli diminutionem important. Diuersitas diametri simili modo inuenta est 0 gra. 8 minut. præscriptis subiungenda, & differentia eius 4 minu. cum nota M. Deinde differentiam æquationis argumenti per residuum multiplico argumenti pro habenda parte proportionali, qua alijs numeratoribus post gradus æquationem debitam procurare solemus & prodibit 36 secund. pars proportionalis minuenda, quam de equatione argumenti abijcio, restat æquatio argumenti 10 minut. 42 secund. primo examinata. Eodem modo pars proportionalis diuersitatis diametri fractionibus argumenti correspondens producitur 26 secund. cum titulo M, Subtraho ergo illam à diuersitate diametri præinuenta, & remanet 7 minu. 34 secund. diuersitas diametri æquata. Iam hanc diuersitatem per minuta proportionalia multiplico prius ad partem seruata, & producitur 1 minu. 8 secund. quod æquationi argumenti primo examine adiungo, & oritur æquatio argumenti ultimo examinata, scilicet 11 minu. 50 secund. Finaliter autem hanc æquationem de medio motu Lunæ subtraho iubente eius titulo, remanebit uerus motus Lunæ 11 sig. 26 gra. 56 minu. 56 secund. ad tempus datum, quod quærebatur diebus non æquatis.

De uero motu quinque planetarum.

Propositio XII.

Verum locum zodiaci, sub quo sit quispiam 5 planetarum certo computo inuenire.



Habeas primo medium motum eius ad tempus propositum, cuius uerum locum scire desideras per primam, & argumentum similiter, in tribus quidem superioribus per 4. In Venere autem & Mercurio cum habeant proprias tabulas per primam suorum argumentorum. Insuper & centrum medium per 6. quæ singula extra scribenda sunt. Cum centro itaq; medio inuenienda est solum æquatio centri hoc modo, quære in tabulis æquationum tui planetæ signum centri in fronte tabule uel calce, & in columna quæ intitulatur æquatio centri, è directo graduum centri à dextris aut sinistris secundum exigentiam repertorum, accipe æquationem centri cum sua differentia quodlibet suo signando titulo. Multiplica tandem differentiam in residuum centri, & pars proportionalis emergit, quam adde uel subtrahe, prout titulus indicat differentialis, æquationi centri, & habebis æquationem centri æquatam, per quam for-

mare